



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Martinii Tridentini E Societate Jesu Sinicae Historiae Decas Prima

Martini, Martino

Monachii, 1658

Quartus Imperator Chaus. Imperavit annis LI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11848

inire mensuram, & cuique certum agri modum, limites item & vias, litibus rusticorum declinandis assignare. Tum ipse obire provincias, eadem præceptis simul & exemplis docens, CHAOCUNGUS jus dicebat rusticis sub salice; quam deinde religio fuit excindere, scriptis etiam carminibus memoriâ beneficiorum ab eo acceptorum ad posteros propagatâ. Res bombycina, seminationis & arationis fructuosæ facilitas mirificè aucta est ab Imperatore; apertæ quoque carcerum fores, eâ conditione, ut inde emissi agris operam darent. Quibus rebus effecit, ut toto imperio effusè fruges atque divitiæ affluerent, rusticâ ad summum adductâ. Felicia tempora, quibus secura pax non ad otium, ut plerumque; sed ad laborem viam aperuit.

QUARTUS IMPERATOR

CHAU S.

Imperavit annis LI.

Quantum KANGUS hujus pater rei agrariæ profuit; tantum hic nimia venatione ferè obfuit. Quippe longâ pacis segnitie, majorésque imitandi studio torpens, neglectâ republicâ totum se venatui dedit. Unde in illum odium offensioque populi, & præcipuè rusticorum, non modò injurias sibi à Præfecto, sed suis agris etiam à feris aut ab ipso potiùs illatas impunè dilabi quiritantium. Demum eò adducta res est, ut ab rusticis, irâ in rabiem versâ, necaretur. Parricidij, præquam à talibus ingenijs expectares, hujusmodi erat molitio. Ulu non rarò venerat, ut è venatione redeunti flumen HUN provinciam XENSI alluens, prope HANCHUNG urbem esset trajiciendum. Rustici, quibus naves ad transitum imperabantur, repetita toties operæ fastidio concepto, regiam navim tali artificio conglutinant, ut cum in alvei medium venisset, facilè atque ad eorum arbitrium solveretur. Itaque hac navi exceptum Imperatorem, ubi pro-
vexerunt ad destinatum periculum, repentè tabulas sublesto nexu co-
hærentes reglutinant; quibus aquarum vi ac molè disjectis, ille cum
purpuratis aliquot fluctibus haustus interiit. Hunc exitum portenta
quædam minari visâ sunt. Nam & Lunæ lux longè solito clarior ap-
paruit,

*Cyclo 27. anno
26 ante Chri-
stum 1556.
Venationis
mala.*

*Omina mortis
Imperatoris.*

N

paruit,

paruit, oblongum præterea radium usque ad leonem (locum Lunæ non notat author) quatientis in Cometæ modum; & in palatio aqua ex puteo super os abundavit cum omnium admiratione. Anno hujus Imperatoris quarto decimo F I U S L U Reguli frater Y E U M dynastam bello persecutus, acie victum contra jus fāsque interfecit. Armorum quippe causa non alia F I O, quàm illius dynastiæ ad ditionem suam, adjiciendæ nefaria cupido erat. His malis Imperator per socordiam non tantùm non obviam ivit, reprimendo F I O, quod erat facillimum; sed si arma poneret, præteritorum oblivionem, ut affini spondet, ereptæque dynastiæ injuriam ratam habet. Anno inde vigesimo septimo (erat is ante Christum natum millesimus vigesimus sextus) natum esse X A C A M tradunt, Indiæ Philosophum, idolorum & transmigrations ad Sinas authorem: de cujus placitis tum plura memorabo, cum res anni post Christum natum sexagesimi quinti venient explicandæ. Hujus enim anni mense decimo penetravit ad Sinas, ut initio historia jam ex parte diximus.

QUINTUS IMPERATOR M O U S.

Imperavit annis L V.

*Cyclo 29 anno
17. ante chri-
stum 1001.*

*Bellum cum
Tartari ge-
nitum.*

MOUS CHAI filius, acceptum à patre imperium, magnis virtutibus illustravit. Immoderatiùs tamen aliquantò equos amabat, & currus. Nihil enim jucundius, quàm sublimem equo, aut curru vehi. Utriusque generis selectâ undique copiâ, incessit eum cupido, equestrem juxtâ curulè que pompam toto imperio ostendandi: Quæ res ut haberet speciem curæ publicæ, placuit obire provincias. Anno imperij trigesimo quinto bellum indixit TARTARIS, quos Sinæ TAI U M vocant, radices I M A I live montium Amiseorum, quæ CROCEI fluminis fons ad Sinas solera obeuntem spectantes procurrat, accolentibus. C I C U N G U S, qui Imperatorem sibi generum adjunxerat, hujuscemodi dictis eum à proposito conatur avertere. *Clara Imperatorum atque excelsa virtus pacem quàm bellum amat. Arma non tradant nisi coacti; semper invisa, semper calamitosa sibi, populo,*